



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De poena concubinae cuiusdam sacerdotis, quam diabolis venabatur, cap.  
20.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

## 712 DE POEN. ET GLOR. MOR.

**¶ al. cum** quodam gigante nigerrimo \* cum capillis impellen-  
**scapulis.** te, maritus eius ingressus est: quem cūm vidisset & no-  
 uisset, ad se illum vocans, super sedile lecti sui residere  
 fecit. Nihil verò territa, eo quod frigus esset, & illa so-  
 la camisia induita fuisset, partem operimenti sui scapu-  
 lis eius superposuit: quē cū de statu suo interrogasset,  
 tristis respondit: Pœnis æternis deputatus sum. Ad  
 quod verbum illa territa nimis, respondit: Quid est  
 quod dicitis? Nonne eleemosynas magnas fecisti? o-  
 stium vestrum peregrinis omnibus patuit: Non pro-  
 sunt vobis beneficia ista? Respondit ille: Nihil mihi  
 prosunt ad vitam æternam, eo quod ex vanagloria nō  
 ex charitate à me facta sunt. Quem cūm de aliis in-  
 terrogare vellet, iterum respondit: Concessum est mihi  
 tibi apparere, sed nō licet morari: ecce ductor meus  
 diabolus foris stat expectans me: si enim omnia folia  
 arborum vertarentur in linguis, tormenta mea exti-  
 mere non possent. Post hæc euocatus & impulsus, in  
 eius abscessu totum castrum, ut prius, concutitur, vo-  
 ces ejulatus eius diutius audiuntur. Visio hæc valde  
 celebris fuit & est in Bajoaria, sicut testis erat Gerhar-  
 dus monachus noster, quandoq; canonicus Ratipo-  
 nensis, qui nobis illam recitauit. Ecce in his omnibus,  
**Capien. 6** quæ dicta sunt, impleta est scriptura, quæ dicit: Po-  
 tentes potenter tormenta patientur. APOLLONIVS:  
 Hæc & huiusmodi exempla potentibus debent pra-  
 dicari: CÆSARIVS: Quia ipsi sacerdotes ex magna  
 parte malè & incontinenter viuunt, potentes nō pun-  
 gunt, sed vngunt. Quam graue sit peccatum luxuria  
 sacerdotum, subsequens probat exemplum.

## CAPUT XX.

**D**e ineon-  
 tinencia  
 ecclesia  
 sacerdotum  
 & aliae  
 ciuitatis.

**C**Oncubina cuiusdam sacerdotis, cūm esset mo-  
 ritura, sicut à quodam religioso didici, cū multi-  
 ta instantia calceos sibi nouos & bene \* taccu-  
 matos fieri petivit, dicens: Sepelite me in eis, valde  
 nim erunt mihi necessarij. Quod cūm factum fuisset,  
 nocte sequenti, longè ante lucem, luna splendente,  
 miles quidam cum seruo suo per viam equitans, fe-  
 mineos

mineos ejulatus audiuit; mirantibus illis quidnam  
hoc esset: Ecce mulier rapidissimo cursu ad eos pro-  
perans clamauit: Adjuuate me, adjuuate me. Mox mi-  
les de equo descendens, & gladio circulum sibi circu-  
ducens, feminam bene notam infra illum recepit: sola  
enim camisia & calceis predictis induita erat. Et ecce,  
ex remoto vox quasi venatoris terribiliter buccinan-  
tis, nec non & latratus canum venaticorum præcedē-  
tium, audiuntur. Quibus auditis, illa dum nimis tre-  
meret, miles cognitis ab ea causis, equum seruo con-  
mittens, tricas capillorum eius brachio suo sinistro  
circumligavit, dextera gladium tenens extentum. Ap-  
proximante infernali illo venatore, ait mulier militi:  
Sine me currere, sine me currere, ecce appropinquat.  
Ilio fortius illam retinente, misera diuersis conatibus  
milité pullans, tandem ruptis capillis effugit: quā dia-  
bolus infecetus cœpit, equo suo eā injiciens, ita ut ca-  
put cum brachiis pederet ex uno latere, & crura ex al-  
tero: post paululum, militi sic obuians, captam præda  
deportauit. Qui manè ad villam rediens, quid viderit  
exposuit, capillos ostēdit, & cūm minus referenti cre-  
derent, aperto sepulchro, feminam capillos suos per-  
didisse repererunt. Hæc contigerunt in Episcopatu  
Moguntinensi. APOLLONIVS: Si Deus sic punit pec-  
catum fornicationis in concubinis, puto quod multo  
durius illud puniat in sacerdotibus, qui illas peccare  
faciunt. CAESARIVS: Verum dicis. Præterea peccatum  
multum aggrauant ordo & scientia: in codem genere  
peccati, plus monachus quam fæcularis. Idem intel-  
ligas in lexu feminineo.

## CAPUT XXI.

**S**anctimonialis quedam de quodam monasterio  
nobis vicino, quod nominare nolo, cūm tempo-  
re quodam concepsisset, ne proderetur eius stu-  
prum, partum intra se necauit: postea infirmata gra-  
uissime, ob nimiam verecundiam, confessis omnibus  
peccatis aliis, stuprum & parricidium tacuit, sicque expi-  
rauit. Pro cuius anima cū quādā eius cognata pluri-  
mū laboraret, defuncta ei in oratione visibiliter appa-

Yy 5 ren s,